



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Hyemalis - A Dominica I. Adventus Domini nostri usque ad
Dominicam Septuagesimæ

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Nemo tibi Christum auferre potest, nisi te illi auferas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44194

3. de Imit.
Ch. c. 6:

Tu è contrà quid pecces audi ex libello nunquam deponendo: Propter modicam contrarietatem desicu à captis, & nimis auidè consolationem quaris. Fortis amator stat intentionibus, nec calidus credit per suasionibus inimici. Affectus ille bonus & dulcis quem interdum percipis, effectus gratia presentis est. & quidam pragustus gratia celestis super quo non nimis innitendum, quia vadit &

venis. Certare autem adversus incidentes malos animi motus, suggestionesque spernere diaboli, insignis est virtutis & magni meriti.

Vide integrum caput, & sic defectus tuos agnosce, ut eos corrigas: sic vero corrige, non ut alios in defectus mutentur, quod sæpe tibi accidit, sed ut muteris in alium, quod raro fit.

E O D E M D I E. ALIA VERITAS PRACTICA.

Nemo jam Christum amittit, nisi qui dimittit.

Vel, ut habet S. Ambrosius.

Nemo tibi Christum auferre potest, nisi te illi auferas.

In Luc. c. 5.

RATIO EST, Quia nemo tibi Christum auferre potest, nisi velis. Vel, Nemo jam Christum amittit, nisi sua culpa.

Sed si velis Christum tibi auferri, tu te illi auferas. Vel, Qui sua culpa Christum amittit, ipsum dimittit.

Nemo igitur tibi Christum auferre potest, nisi te illi auferas. Et jam nemo Christum amittit, nisi qui dimittit.

QUÆ quidem omnia tam plana sunt & aperta, ut sint solum termini proponendi. Nec illud etiam obscurum est quàm sit pavendum & cavendum, sic à te Christum dimittere, si tibi Christum auferat. Quia in venerunt in me iniquitates, quia elegerunt à me, & ambulaverunt post vanitatem: & vani facti sunt. Ier. 2.

E O D E M D I E.

DE MANSIONE NAZARETHANA, ET SVBIECTIONE D. JESU, USQUE AD ANNUM TRIGESIMUM.

Et erat subditus illis. Luc. 2.

VERITAS PRACTICA.

Nisi te subdas Deo, Deum tibi subdis.

RATIO EST, Quia nisi te subdas Deo, tuam potius quam Dei voluntatem facis.

Sed suam potius quam Dei voluntatem facere, est sibi Deum subdicere.

Ergo nisi te subdas Deo, Deum tibi subdis: Quod cum sit horrendum dictu, & factu etiam magis execrandum, potens est motivum ad nos perficere Deo subdicendos.

I. PUNCTUM.

Luc. 2.

AB anno duodecimo Christi Domini, atque ab ipsius reditu Jerosolymitano in Nazareth, pauca hæc de illo referantur; Et descendit cum ois, & venit Nazareth

& erat subditus illis. Et Mater eius conservabat omnia verba hæc, in corde suo. Et Iesus proficiebat sapientia, & aetate, & gratia apud Deum & homines. In quibus illud supra omnem hominum atque Angelorum admirationem est, quod esset subditus illis. Expende singillatim omnia. Quis, quibus, quamdiu, quo fine, quomodo, & in quo illa est subiectio. Nempe in arte fabrili, & in omnibus obsequiis domesticis, quasi ille servus esset, ille qui est universorum Dominus. Nonne hic est fabri filius? Nonne hic est faber, filius Mariae? dixerunt Judæi postea cum primum prædicare cœpit.

O mundi Architectum & fabricatorem universi, quò te devexit mea superbia, ut in angustas fabrilis officinæ descenderes, nec aliud per duodeviginti annos continuos, quàm illud vile officium, ad unius hominis directionem & imperium, exerceres! Certè nisi discamus subjici, &

Matth. 13.
Mayc. 6.

hu-